



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Laurentius M. 10. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

bus hæc primò pugnavit, sed illi gloriosum ducebant patriæ plagas ostentare acceptas à patriâ. Jam in carcerem cùm descenderent, Capitolium videbantur petere. In carcere cùm cibum victoribus Tyrannus victus regaret, triumphales epulas Angeli pararunt. Ad has in testarum fragminibus velut in rosis suaviter illi accubabant. Fame sic pulsâ sanguinem sitiebant fundere. Et verò gladio cæsi hunc quoque libarunt. Porrò funus utriusque Cælites curarunt mercatorum os habitumque induti, & nobiles merces (ossa Divorum) non procul Carthagine deposuerunt. Horum pretium indicavit genius malus ex alieno ore locutus, præsentiaque horum mirè discruciat. Itaque in Istriam translata corpora. Sed & Istri tanti hæc æstimarunt, ut expetenti Veronæ (cui imbrem cælum tam diu negaturum se edixerat, dum in urbem Divi exules revocarentur) non aliter vendere voluerint, quàm auro tanto appenso, quantum corpora penderent. Sed faverunt patriæ potius licet ingrata Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves se præstiterunt, ut ex corrogato auro triens sufficeret. At verò tunc primum magni ponderis apud patriam fuerunt. Ex Mombrit. & Pet. de Natal.

*Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cælis? ergo cælestem viam monstra in habitatione terrenâ; quia si quid in te gesserit terrena cogitatio, cælo maculam, cælesti generi injuriam inulisti.* S. Pet. Chryf. serm. 71.

S. LAURENTIUS M. 10. Augusti.

**D**ucebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAURENTIUS expoſtulare cum hoc

capit.

cœpit, non quòd ad præmia iret, sed quòd sine filio pater iret. Enimverò qui ad aram focius fuerit, ad crucem se futurum. Ad hæc Sixtus: Suum esse præire, ministri sequi; suum, hæredem vitæ relinquere, cuius si fuisset, propediem etiam mortis futurum; thesauros interim Ecclesiæ tyranni manibus subduceret. His lætior LAVRENTIVS confestim opes omnes sacras in pauperum finus abdit, hi cælo condunt. Valerianum deinde hiantem & inhiantem ad templum ducit, & pauperẽ longo ordine de ponte gregem monstrans, hi inquit, thesauri, quos orbis habet, sunt maximi. quin tu hos ambis avarus, hos foves, &, si sapias, his tuum etiam jungis ærarium. Hic Imperator virgas, flagra, ignes inclamare, & hæc omnia continuo LAVRENTIO carnifices admovere, ut jam abeuntem animam Deo martyr commendaret. Sed è Cælibus adfuit, qui sudorem Athletæ & sanguinem linteo abstergeret. Tyrannus interim os LAVRENTII saxis, hic verò aures tyranni verbis liberimis pulsavit. Ad extremum craticulæ super injectus, & lento igne tostus, non tamen insultare Valeriano destitit, sed subinde arridens illi, *verte* exclamavit, & *manduca*. Et ille quidem hoc epulo indignus fuit. At cæli, quos jam dudum odor nobilissimi convivii exciverat, ad se tam nobile ferculum rapuerunt, & convivas, si modò placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lip. & Baron.*

*Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? ejus exemplo provocamur ad martyrium, & accendimur ad fidem, incallescimus ad devotionem, & si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. S. Aug. serm. de S. Laurent.*